

teneatur, & debeat tradere, & expedire, & expeditam de cetero dimittere, & relaxare pacificè, & quietè, quodque omnes, & singuli foreusciti Hipporegiæ possint si voluerint venire ad dictam Ciuitatem, & districtum Hipporegiæ, & in eisdem Ciuitate, & districtu stare, & habitare, ire, & redire valeant, & permittatur pacificè, & quietè, prout ante expulsionem eorum veniebant. Et quod ipsi foreusciti, qui ut permittitur venire voluerunt ad ipsam Ciuitatem Hipporegiæ cum illis intrinsecis, aliquibus districtualibus, vel habitatoribus dictæ Ciuitatis, eiusque districtus, cum quibus guerram specialem habent, pacem, & concordiam faciant, & faciant sibi inuicem remissionem de omnibus, & singulis rebus mobilibus, ablatis, & habitis per aliquam ipsarum partium, seu ipsas partes, vel alteram earum.

Item pronunciamus, diffinimus, arbitramur, arbitramentamur, præcipimus, & declaramus, quod omnes, & singuli dictæ Ciuitatis, & districtus Hipporegiæ tam extrinseci, quam intrinseci incolæ, & habitantes ipsius Ciuitatis, & districtus per predictos D. Comitem, & Marchionem ad eorum gratiam admittantur. Et quod eis omnibus præfati D. Comes, & Marchio omnia eorum tam extrinsecorum, quam intrinsecorum bona immobilia dimittant liberè expedita, salvo quod si qui ex foreuscitis, siue extrinsecis predictis venire nollent ad ipsam Ciuitatem, seu ad gratiam, & obedientiam dictorum Dominorum, bona eorum, qui venire recusaverunt, ut supra sunt ipsorum Dominorum Comitis, & Marchionis iuriusque videlicet ipsorum pro medietate pro induiso.

Item, quo dicti forusciti ad aliquas tales impositiones, seu debita Communitatis factas, & factas à tempore expulsionis eorum, usque ad diem quo fuerunt revocati, seu admissi ad gratiam dictorum Dominorum minime teneantur, nec compelli valeant, pro eisdem.

Item, quod si idem D. Marchio, absque hærede legitimo masculo decederet (quod absit) quod in illo casu dicta Ciuitas Hipporegiæ tota ad dictum D. Comitem debeat peruenire, cum omnibus iuribus, districtu, & pertinentijs ipsius Ciuitatis.

Item, quod dictus D. Marchio dictam medietatem ipsius Ciuitatis, & pertinentiarum eiusdem sibi spectantem, vendere, alienare, vel alio quovis modo transfere non possit, nisi in D. Comitem antedictum. Ne ipse D. Comes ad solum, & consortem habendum, & extraneum à cognatione sua in ipsa Ciuitate cogatur inuitus. Et ne ipsa Ciuitas, vel aliqua eius pars ad quam ipsi D. Marchio, & Comes efficiuntur ad extraneos, vel alios perueniat, nisi utriusque coniunctos. Non possit etiam ipse D. Comes, vel eius successores partem Ciuitatis eiusdem, quam ad ipsum, ut permittitur pronunciamus præstantialiter pertinere debere, seu partem per ipsum D. Marchionem retentam, & sibi declaratam pertinere. Si res casu quo medietas ipsius D. Marchionis ad ipsum D. Comitem, vel eius successores perueniret, ut supra, vel aliquam partem partis, vel totius partem vendere, donare, infestudare, vel quoquis titulo in aliud transferre, sed semper remaneat ei, & eius successoribus Comitibus Sabaudiaæ perpetuo pleno iure, & sine